

DISSERTATIO SECUNDA DE SPONSALIBUS.

Huc referendi sunt tituli 1. 2. & 5. lib. 4. Decretalium.

CAPUT I.

Quid sint Sponsalia, & quomodo contrahantur?

QUUM sponsalia dicimus, facile intelligit unusquisque, derivatum fuisse vocabulum à spondendo, quemadmodum à despondendo aliquando dictæ fuerunt desponsationes, quorum verborum discrimina in eo Grammatici collocant, quòd puellæ pater propriè dicatur puellam spondere, sponsus verò, seu pater sponsi despondere. Hujus sponsonis forma non semper eadem fuit; etenim apud veteres Romanos stipulatio intercedere solebat, l. 2. ff. de sponsalibus, juxta formulam, quam tradidit Servius Sulpitius apud Gellium lib. 4. noctium Atticarum cap. 4. ibi: *Qui uxorem daturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur, eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat isidem spondebat daturum: Et contractus stipulationum, sponsionumque dicebatur sponsalia.* Hæc contrahendi forma tandem perduravisse videtur, quamdiu quæ ex eo contractu proficiebatur, obligatio firmissima fuit, & actio inde nata in judicio cum effectu proposita. At postquam inductum est, ut facile in irritum caderet, indulgendo sponsis, ne ad contrahenda conjugia obligarentur reluctantes & inviti, negligit etiam cepit ea solemniter contrahendorum sponsalium ratio; quamobrem recentiore ætate usus invaluit, ut contracta ritè sponsalia intelligerentur, sive verbis, quorum formulam descripsit Summus Pontifex in cap. penult. de sponsal.

sive litteris, sive per procuratorem, sive quibuscumque aliis certis indicis de consensu constet, l. 4. ff. de sponsalibus. Certis, inquam, indicis, in quibus scilicet nulla esse dubitatio possit. Hinc ex. gr. si quis ex una annuli traditione, qua sponsi sponsas sibi quodammodo devincere solent juxta vetustissimum morem, can. 3. & 7. caus. 30. quast. 5., demonstraret, sponsalia fuisse contracta, nisi alia suffragarentur indicia, vel quia provinciæ disciplina ita postulare, vel quia sponsalium tractatio præcessisset, judicio meo non satis certam sponsalium probationem adferret, argumento capituli 11. de præsumptione. Potiore jure non concluditur, ideo sponsalia fuisse contracta, quòd inter duos, familiares quædam loquendi formulæ expressæ fuerint, quibus fortè mutuo se sponsos salutaverint, nisi alia adjuncta concurrant; etenim ex animi levitate, qua quædam præter sinceram, & solidam voluntatem pronunciantur, verus consensus minimè inducitur, quemadmodum definitivè Justinianus in specie militis, qui non seriò quemquam heredem suum declaravisset, licèt aliàs verum sit, testamenta militum nulla juris solemnitate indigere, §. 1. institut. de militari testamento. Quia verò sæpè contingit, ut ex inconsideratis hujusmodi loquendi formulis jurgia oriri soleant, & contractuum sponsalium conjecturæ capiuntur non sine contradictione, non inoppo-

tunè in nonnullis diocesis decretum est, ut non aliàs sponsalia verè contracta intelligerentur, quàm si certa interveniret rei gestæ testimonia; nimirum alicubi, ut duo testes essent necessarii, vel ut in scripturam acta redigerentur, alicubi etiam, ut coram Parocho celebrarentur, quamquam alibi interdictum noverim, ne Parochus interveniat, ne fortè contingat, sub prætextu sponsalium Parochum causa matrimonii potius celebrandi advocari ad eludendas denunciationum leges, Non memoro, quid exhibeant singularum dioceseon mores, quos, prout res incidit, ex diocesanarum Synodorum lectione unusquisque commodè intelliget. Tantum dicam, jure communi nullam esse præstitutam contrahendorum sponsalium formam, illaque statim valere, ac contrahentes ipsi consentiunt; quamobrem sponsalia ritè definitis cum Jureconsulto in l. 1. ff. de sponsal., ut sint *mentio & repromissio futurarum nuptiarum.*

Quorum consensus requiratur, quorumque sufficiat in sponsalibus contrahendis, non una definitione comprehendere potest: Nimirum varia antiquo jure disciplina fuit ab ea, quæ invecita recentioribus sæculis adparet: varæ quoque sunt personarum notæ, cum aliud in personis paternæ potestati subiectis receptum fuerit, habito etiam discrimine masculorum, & feminarum; aliud in personis sui juris, quarum etiam respectu notandæ sunt varæ rationes, prout scilicet ipsæ aut adhuc in popillari ætate consistunt, ac sub potestate tutoris, aut minores dicuntur, & sub regimine curatoris, aut majoris sunt, & utranque potestatem seu tutoriam, seu curatoriam evaserunt. Profecò quoties de filiisfamilias agatur, olim ex Romani juris institutionibus multo dissimilis habebatur ratio filiorum, & filiarum. Nimirum, uti tradebat Servius Sulpitius loco supra laudato apud Gellium, sponsus stipulabatur sponsam *ab eo, unde ducenda fuisset, id est, à patre sponsæ, ex*

quo liquet, sponsæ patrem consentire oportuisse, non sponsam. Erat hæc vis summæ illius, quam vetusti parentes habebant, potestatis in liberos, quos pro arbitrio suo alienæ familiæ inserere poterant; eamque ob rem pater sponsæ filiam de manu ferè sua in alienam manum, sive in manum viri dimissurus, sua tantum voluntate cum sponso contrahebat; neque id omninò iniquum filiæ videbatur, cujus deinde consensus in celebrandis nuptiis exquirebatur. Coercenda deinde fuit rigidior illa parentum potestas, utpotè, quæ aliquando immeritam liberis perniciem adferebat; quamobrem sicut in aliis obtinuit, mitius agi cum liberis cæptum est, cautumque, ut sponsæ ipsius consensus requiretur, l. 11. ff. de spons., qui tamen semper intervenisse intelligeretur, quoties filia sciens prudens sponsonis paternæ apertè non contradiceret, l. 12. ff. eod. tit., imò ne concedebatur quidem puellæ paternæ voluntati refragari, nisi æqua subesset dissentienti causa, veluti si indignum moribus sponsum ei pater eligeret, dicta l. 12. §. 1. Sed hæc, quæ de sponsa filia dicimus, non eodem modo dici desponsio filio possunt; quamquam enim sponsus filiusfamilias sponsalia sine consensu parentis contrahere non posset, sicut nec contrahere poterat matrimonium, non adeo tamen vi patriæ potestatis premebatur, ut quam sibi pater stipulatus fuisset sponsum, eam dicere teneretur, l. 13. ff. de sponsal., imò & poterat etiam sine causa liberè contradicere. Dices fortè, & quidem ritè, arcibus divise vinculum patriæ potestatis respectu filiorum, quam filiarum, cujus rei causa trina venditio in emancipatione filiorum, non in emancipatione filiarum olim necessaria fuit. Verùm illa discriminis ratio in sponsalibus observanda, non tam ex vinculo patriæ potestatis, seu ex necessitudine inter parentes, & liberos pendebat, quam ex causa familia, quando mortuo patre filia sponsa à sponso traducta non propriam familiam habebat,

bat; sed familia viri incerebatur; at filius sponsus mortuo patre propriam incipiebat habere familiam. Quamobrem filiusfamilias vivente patre poterat sponsalibus à parente contractis contradicere, ex eo quòd licet conjugem non in suam, quam vivente patre nondum habebat, sed in patris familiam ducturus esset, futurum tamen aliquando sperabat, ut sui juris effectus eandem conjugem in sua familia habere inciperet: atque est juris Romani vetustissima regula tradens, neminem in alicujus invitam familiam recipiendum esse, quemadmodum facile colligitur ex eo, quòd nec pater poterat invito filio, sibi aliquem in nepotem adoptare, l. 6. ff. de adoptionibus. Recentioribus sæculis receptum est, ut & filiorum aequè, & filiarum sponsalia contrahentium consensus requireretur, & sufficeret; nisi fortè in eo adhuc quisquam velit manere vetustam integram disciplinam (neque enim ego repugno), quòd si agatur de filiis impuberibus, vel de filiabus nondum viripotentibus, non aliter sponsalia ab ipsis contracta consistant, quam si paterna voluntas voluntati illorum accedat, propterea quòd pupillorum maximè infirmum consilium sit, deceatque illud paterno iudici adjuvari, contra quam observandum sit in actibus liberorum, qui jam pubertatem attigerint, ut potè qui faciliùs liberæ suæ voluntati relinquuntur. Requiritur, inquam hodie filiorum, filiarumve consensus, quum sufficiat Patrem puellæ spondere, nisi & ipsa puella sponsonem patris quomodò confirmet, vel ratam habeat, cap. un. in fine de desponsat. impub. in 6. Neque enim quemquam turbare debet canon 2. caus. 31. quæst. 2., seu, quòd idem est, capitulum 1. de desponsat. impuber., ubi adigitur filius nondum adultus post unius patris sponsonem, ut matrimonium contrahat. Nimirum jam ego observavi in meis lucubratiõibus in codicem Gratiani parte 2. tom. 1. cap. 49., monumentum illud

à viris eruditis inter apocrypha recenseri; neque puto, aliam in eo describendo fuisse mentem Collectoris Decretalium, quam ut indicaret, illum ipsum canonem, qui aliàs in collectione Gratiani recensetur, abrogatum fuisse aliis Decretalibus passim apud Gregorium IX. memoratis, proindeque nullam illius habendam esse rationem. Dixi præterea, sufficere consensum seu filiorum, seu filiarum, ut intelligatur, hodie non requiri parentum consensum; postquam enim obtinuit, ut valcant matrimonia filiorumfamilias sine patris consensu contracta, quid dubitandum superest de sponsalibus, quæ viam ad matrimonium parant? Interea tamen jure annotabitur, quemadmodum conjugia sine parentum consensu contracta tanquam naturali honestati ut plurimum adversantia, ac propterea illicita legibus etiã ecclesiasticis improbantur, ita eodem modo tanquam illicita habenda esse sic celebrata sponsalia, in quibus honor parentibus debitus non præstatur. Eequidem hinc video statim emergere non levem difficultatem, dum illico observo, nihil aliud esse dicere, ea sponsalia valere, utut illicita, quam dicere, sponsum, seu sponsam ad datam fidem implendam obligari, proptereaque adigi ad matrimonium contrahendum, quòd ceteroqui patris consensu non accedente probrosus videretur, quando ea obligatio in rem illicitam conferretur. Verumenimverò ego observo, quoniam duplex est sponsalitiæ obligationis effectus, quorum prior spectat futuri matrimonii celebrationem, alter spectat sponsorum vinculum, quò fit, ut neuter ex ipsis novam fidem alii dare licitè possit, si fortè parentes dissentiant, in suspensio quidem interea manere priorem sponsalium effectum, quasi excusetur alteruter ex sponseris, si conjugium inire nolit contra reverentiam parentibus debitam; at nihilominus vires suas exercere effectum alterum, ut licitè alteruter nequeat de matrimonio cum alia contrahendo decernere, in quo nihil

hil adversus reverentiam patri debitam admittitur, ut mittam alios sponsalium effectus, qui non futurum matrimonium sed ipsum contractum sponsalium vinculum spectant, quòd sanè sufficit, ut sponsalia adhuc valere credantur; neque enim generaliter verum est, obligationem nasci non posse, quocumque in casu licitè omnes effectus sortiri nequit, dummodò certus effectus jam editi demonstrentur: eodem ferè modo quo multis in casibus legibus datur filio, ut sibi patrem obliget, & exinde habeat actionem adversus patrem paratam, quæ & extingui potest, & novari, item datis fidejussoribus, vel pignoribus confirmari, quamquam eadem actio non impetrata à Prætorè venia in iudicio proponi non possit. Quid verò, si pater olim dissentiens, deinde consentiat? Quid, si pater moriatur? Quid, si talis casus emerget, quò amplius pater nec dissentire, nec consentire valeat? Tunc sanè locus fiet alteri sponsalium effectui, ut matrimonium etiã licitè contrahatur, non quasi obligatione tum primùm emergente, sed quasi sublato impedimento, quòd oberat obligationis executioni undecumque implendæ. Præterea observo, quando in ea quæstione versamur, nùm obligatio seu vinculum sponsalium consistat, non tam sollicito fuisse legum conditores, & publicæ disciplinæ vindices, quid ritè agendum deinde sit sponsis ad rectum familiarum ordinem custodiendum, in quo privata versatur utilitas, quam sollicito extitisse de sponsalium consecrariis juxta publicam formam, in quo versatur bonum societatis, privatis sanè commodis, & rationibus præferendum. Quid enim ex. gr., si post contracta patre dissentiente sponsalia à filiofamilias, sponsus copulam cum sponsa habuisset? Nonne olim attenda disciplina, quæ ante Concilium Tridentinum vigeat, publicè intererat, eam copulam pro conjugio haberi, quòd sanè dici non potuisset, nisi vera, & valida sponsalia præcessissent, quemadmodum inferius tradam? Quid,

si frater sponsi filiofamilias sponsam ipsam sibi sociari conjugio vellet? Nonne publicè interest, has nuptias honestate ita suadente improbari, quòd aliàs verum non esset saltem post disciplinam Tridentini Concilii, si sponsalia ob patris dissensum prorsus irrita haberentur? Quid, si extraneus sponsam eandem violaret? Nonne publicè interest, sponsam quasi ream fractæ fidei, & veluti adultèram ob gravem injuriam in sponsum illatam puniri? Quid, si eadem sponsa jam dotem sponso dedisset? Nonne publicè intererit, & tacitam hypothecam in bonis sponsi, & actionem ad dotem repetendam dissolutis quomodocumque sponsalibus concedi, quæ sanè vera non forent, nisi sponsalia consistere adfirmetur? Hæc planè omnia spernenda non erant uno prætextu servandæ reverentiæ in patrem, quemadmodum nec cætera à publicis legibus, vel moribus gentium in generale commodum saluberrimè constituta, atque firmata. Jam verò definiamus, quorum consensus requiratur, quorumcumque sufficiat in sponsalibus, quæ contrahuntur ab iis, qui filiofamilias non sunt, sed sui juris. Quoties isti majores sint, nulla est dubitatio, quin contrahentium consensus & sufficiat, & requiratur, nisi respiciamus ad antiquissimam Romani juris disciplinam in feminis singularem, juxta quam cum feminæ essent in perpetua agnatorum tutela, eisdem sine tutoris auctoritate sicut nuptias, ita sponsalia contrahere non licebat. Sed jamdiu ab ea disciplina recessum est, & par habetur tam seminarum, quam masculorum ratio. Quoties autem agatur de masculis impuberibus, aut de feminis nondum viripotentibus sub tutoris auctoritate constitutis, idem de tutoris auctoritate dicendum videtur, quòd diximus de patria potestate, ob generalem regulam, qua traditur, nullam omnino esse pupillorum obligationem, cui firmandæ tutoris auctoritas non accedat, atque eam regulam etiã in sponsalium

recipiendam puto, quod nullibi in jure sponsalium exceptio facta deprehendatur; imò & eandem regulam hodie etiam arbitror recipiendam, quod nullæ adparent recentiores constitutiones, quibus sit disciplina veteri derogatum, præsertim cum & hæc publica quadam forma consistat, in adjuvandis scilicet infirmis pupillarum consiliis. Tantum adnoto discrimen, quod inter patriam & inter tutoriam potestatem intercedebat olim in eo, quod, ut superius diximus, pater etiam ignorantem puellam spondebat; at tutor pupillam non aliter spondere poterat, nisi & ipsa pupilla consensisset, l. 6. ff. de sponsalib., & quidem jure, sive quod tanta pœnès tutorem non erat potestas, quanta pœnès patrem habebatur; sive quod tutoris auctoritas firmando potius puellæ consilio accessura erat, eamque ob rem puellæ consensus requirebatur, cui tutoris consensus accederet. Non idem dicendum est de curatoribus minorum, sive masculinorum, sive feminarum, qui scilicet jam pupillarem ætatem excesserint: siquidem curatoris officium præcipue spectat rerum administrationem, nec nisi secundariò minorum eorundem personas; quamobrem ritè minores sine consensu curatorum sponsalia contrahunt, l. 20. ff. de ritu nupt., quod mera personalis obligatio in proposito versetur; quamquam curatoris officium desideretur in dote constituenda, similibusve juribus, quæ res eorundem minorum afficiunt.

Ut vim sponsalia obtineant, parum refert, an purè concepta sint, an verò diem adjectam habeant, vel conditionem. Quoties purè concipiuntur, pariunt quidem statim obligationem matrimonii contrahendi, non eam tamen, quæ statim debeat suum effectum habere: siquidem quæ ex sponsalibus obligatio nascitur, singularem habet naturam, cui scilicet quoddam tempus inest, in quod conjugium differatur. Ratio in eo posita est, quia sponsalia, & matrimonium quasi duo contractus invicem distinguuntur, li-

cet alter ad alterum referatur; ac propterea qui sponsalia contrahunt, cum contrahere matrimonium possent, eo animo esse videntur, ut cogitent quidem, de liberentque de matrimonio aliquando contrahendo, nolint tamen statim ad contrahendum matrimonium obligari. Hoc tempus olim adeo incertum erat; ut ejus definitio ob varia, quæ subesse, vel emergere possent, causarum adjuncta ex prudentis judicis arbitrio omnino penderet. Cum verò Judices nimis diuturnum tempus aliquando determinarent, lege Papia Augusti ætate lata constitutum fuit, ut sponsus intra biennium datam fidem impleret, uti refert Dion lib. 54., ac generaliter tradit Suetonius in Augusto ita de lege Papiæ scribens: *Coartavit tempus sponsas habendi*. Eam ob causam factum est, ut si elapso biennio sponsus nondum sponsam duxisset, posset sponsa alias sibi nuptias querere, l. 2. cod. de sponsal., quod quidem intellige, nisi justæ, ac necessariæ causæ diuturnius adhuc tempus postularent, putà infirma sponsi sponsæve valetudo, aut mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes ex necessitate factæ, quemadmodum legem Papiam interpretabatur Gajus in l. 17. ff. de sponsalibus. Quòd si sponsalibus adjectus fuerit à contrahentibus certus dies, licet statim obligatio nascatur, nemo tamen ex contrahentibus ante diem obligationi satisfacere tenetur; sed veniente die urgeri statim potest ad obligationem implendam, nisi tamen quadam, quæ olim prævisa non fuerit, causa gravis emergat arbitrio Judicis comprobanda, ad exemplum sanè illius, quæ biennium lege præstitutum prorogare potest, juxta ea, quæ modò adnotabam ex l. 17. de sponsalibus, ne forte major esse dicatur vis, & potestas contrahentium, quam legum in tempore definiendo. Contingit quandoquè, ut dies insit sponsalibus ex legis potestate, quemadmodum in sponsalibus impuberum, et aliorum, inter quos statim contrahi-

ma-

matrimonium minimè posset: siquidem censentur ista dilata in tempus conjugii aptum, quale esset in proposita impuberum specie tempus pubertatis. In his causis ego puto, adveniente pubertate, aut aliàs apto tempore non statim obligationem contrahendi conjugii effectum sortiri necessariò debere; sed poterit alteruter ex sponsis ita tempus prorogare, ac si tum primùm sponsalia celebrata fuissent; etenim hoc tempus, quod lege inest, non ideo inest, quasi ultraquod amplius prorogari non liceat, sed potius quasi ante quod matrimonium contrahi minimè debeat; quemadmodum insimili propemodum argumento desinebat Paulus in lib. 4. sententiarum tit. 6. s. ult.

Quoties conditio sponsalibus adjicitur, nulla dubitatio est, quin nisi illa eveniente, obligatio contrahendi matrimonii nascatur, sive conditio ipsa à casu pendeat, sive ab eorundem contrahentium voluntate, sive eadem in dando, sive in faciendo consistat, cap. 3. 5. & 6. de condition. appos. Quid verò est, quòd apud Gratianum legitur in can. 7. caus. 27. quæst. 2., conditionem interpositam non valere, idque ex Concilio Africano probari, cujus verba subjiciuntur in sequente canone 8., & translata deinde leguntur in cap. 1. de condition. appositis? Nullum mihi negotium ista facessunt, consideranti, ejusmodi monumentis parum auctoritatis inesse. Nemo in primis mihi opponat laudatum canonem 7., cujus verba edenda potius erant à Typographis tanquam breviarium quoddam sequentis canonis de more adscriptum opera Glossographorum, cujus propterea vis, & sententia tota à subjecto canone pendet. Quamobrem jure optimo viri eruditè de Contio conqueruntur, qui ea verba velut ecclesiasticum canonem in sua Gratiani editione recensuit. Deinde ad canonem 8. adnoto, inani conatu eum quæsitum fuisse inter Africana Concilia apud quemcumque etiam maximè accuratum Africanorum canonum col-

lectorem; unde gravis suspicio suscipitur, eundem falso Africano aucupiam Concilio recentiore ætate adscriptum fuisse. Adjuvat suspicionem latina elocutio, quæ cæteris Africanorum canonum lubricationibus minimè consonat; consonat & converso loquendi formulis, quæ sequioris ætatis Scriptores usurpaverunt. Augetur præterea suspicio ex eo, quòd nullibi legitur apud Africanos veteres Patres de hujusmodi quæstionibus disputatum. Neque quis denique objiciat Gregorii IX. auctoritatem, quasi Gregorius idem probaverit, quòd describendum voluit in dicto cap. 1. de condition. appositis; siquidem ego pro certo habeo, Gregorium IX. ibi in ea mente fuisse, ut potius cum canonem, quem & apud Gratianum, & in prima collectione decretalium, cap. 1. cod. tit. legerrat, indicaret, recipi non debere, cum post illum alia ediderit capita, quibus contrariam Pontificibus Maximis placuisse sententiam demonstraret. Si quis adhuc hæreat, & interpretari potius hujusmodi monumenta velit, quam rejicere, non repugnabo, imò & commodam ipsi exhibebo interpretationem, qua affirmet ibidem agi non de contractis sponsalibus, sed de celebrato conjugio; plurimum autem interesse inter adjectam sponsalibus, & adjectam matrimonii conditionem; nam sponsalia quidem, in quibus res futura versatur, facillè conditionem recipiunt, quam respuunt conjugia, quæ de presenti, uti loquuntur nostri, concipiuntur; cum repugnet in terminis, de præsentis conjugium contrahi, & conjugii contractum in tempus conditionis implendæ differri.

Apud veteres vulgare erat, in sponsalibus contrahendis conditiones adijcere, deque iis adjiçendis ut plurimum tractabatur non per sponsos ipsos, sed per proxenetas, sive conciliatores nuptiarum, de quibus mentio fit in l. ult. cod. de sponsalibus. Non enim satis honestum videbatur, sponsos ipsos per se variis conventionibus quandam ita dixerim invidiæ plenam mercaturam in con-

jugio celebrando facere, quorum potius animi non ad dissidium, sed ad mutuum benevolentiam sunt concitandi, ut fausta semper sint conjugiorum auspicia. Imò & pacta adjecta talia legibus esse debebant, quae in ipsarum legum vitia non impingerent, quemadmodum impingebat ea pactio, de qua mentio fit in l. 97. §. ult. ff. de verb. oblig., ubi sponsa stipulata fuerat à sponso, ut si eidem nupsisset, decem sibi darentur. Quis enim non videt, collatam fuisse donationem in tempus matrimonii contra leges publicas, quae donationes inter virum, & uxorem irritant, l. 4. cod. de donat. ante nupt. Quid tamen, si post conditiones sponsalibus adpositas, neque adhuc purificatas, inter sponso consensus de praesenti, vel carnalis fuerit subsequuta commixtio? Ait Alexander III. in cap. 3. de condition. appos., censi recessum à conditione, quasi novatione facta, obligatio conditionalis in obligationem puram evaserit. Sanius interpretari jubat Alexandri rescriptum. In primis ponere debemus, adhuc in pendenti esse conditionem; quotiescumque enim conditio jam defecisset, res haberetur, ac si nulla unquam sponsalia contracta fuissent, & frustra quaestio institueretur de inducenda novatione obligationis, ubi nulla est obligatio. Deinde quoties in pendenti adhuc conditio esset, distinguere oporteret inter conditionem, quae à casu pendeat, & inter conditionem, quae in libera sit alterius sponsi voluntate. Nimirum si à casu conditio pendeat, res ita habebitur, ac si conditio evenisset quam insuper habendam contrahentes ipsi voluerunt: at si conditio pendeat, à libera alterutrius sponsi voluntate, pura quidem esse incipiet obligatio nuptiarum; ipsa tamen conditio erit adhuc necessariò implenda, dummodò impleri commodè possit. Quid enim ex gr., si quis sibi puellam despoudisset, ea adjecta conditione, si centum, quae illa in bonis habet, dotis causa conjugii donet? Si fortè ante dotis cons-

titutionem sponsus, & sponsa de praesenti consentiant, & matrimonium celebrent, quin expressè ab ea conditione se velle recedere profiteantur, non videtur omninò remissa conditio, sed potius videtur sponsa sese obligavisse ad dotem illam constituendam, quae contrahendo matrimonio causam ab initio dederat; velle enim accommodari facto huic potest regula abs Jureconsulto tradita in l. 134. §. 1. ff. de verb. obligat., plerumquè ea, quae in praesertionibus convenisse concipiuntur, etiam in stipulationibus repetita creduntur, sic tamen, ut non ex ea repetitione inutilis efficiatur stipulatio; quasi concludendum sit, conditionem sponsalibus adjectam, quae vicem quodammodo praefationis gerunt, in matrimonio repetitam censi, sic tamen, ut ex ea repetitione non inutile matrimonium fiat; videlicet non in suspensio matrimonium esse credatur, donec impleatur conditio, quemadmodum in suspensio erant sponsalia; sed ut matrimonio consistente obligatio emergere incipiat, adjectam conditionem non quasi conditionem, sed potius quasi modum implendi.

Inter probabiles, honestissimasque, imò etiam usu frequentes conditiones ea est, si parentibus, vel iis, qui sunt parentum loco, placuerit, cap. 6. de condition. appos., quae si sponsalibus adiciatur, disputari solet, quandonam vel impleta, vel defecta intelligatur. Sanè si in praeteritum concepta conditio sit, ut hunc sensum faciat, si parentibus ex gr. placuit, propriè non est conditio, neque obligationem suspendit, ob generalem hujusmodi formularum naturam, quae vel in ipso actu firmant, vel impediunt obligationem, pro ut vel vera, vel falsa sunt, quae in formula exprimuntur. At si in futurum concipiatur, & hunc sensum faciat: si parentibus placebit; quæri solet in primis, num sufficiat, parentes non contradicere, ut sponsalia valeant, an requiratur praeterea eos expressè consentire? Sufficere, parentes non contradicere arbitror, uti

pers-

perspicuè liquet ex argumento canonis l. 4. caus. 32. quest. 2., dummodò in eo cum Romanis Correctoribus legamus *potiùs res erit*, & rejiciamus Gratiani scripturam veluti vitiatam, ibi: *non res erit*. Idipsum suadet ipsa sponsorum voluntas, qui in ea adicienda conditione nihil aliud voluerunt, quam officio suo erga parentes non desse, nec agere quidquam, quod esset contra illorum voluntatem. Imò etiam puto, haberi pro impleta eandem conditionem, si parentes, antequam sponsalium notitiam habuissent, vita functi proponerentur. Quid enim aliud obesse potest sponsalibus illis, quae sponsi ipsi nondum ideo omninò probaverant, quia verebantur, ne parentibus non probarentur? Scio, in contrarium adferri legem 101. princ. ff. de condition. & demonstr., sed observo ibidem singularem speciem, quae inspecta necessarium erat, Severianam Proculam designatis à patre nuptiis consentire expressè debuisse, vel expressè dissentire, ex eo quòd fideicommissum gratia earundem nuptiarum relictum fuerat, mortuaeque esset puella, antequam viripotens esset, proinde quo tempore non solum nec dissentierat, nec consenserat, sed nec dissentire poterat, nec consentire. Scio insuper, esse certam regulam, qua traditur, conditiones esse in forma specifica implendas, argumento l. 44. ff. de condition. & demonstrat. Verùm ea regula locum habet, quando quis in conditione expressit causam suae voluntatis, non tamen quando quis conditionem adposuit, ut viam sibi commodiorem pararet ad consequendum finem, quem potissimum intendebat, argumento l. 15. ff. quando dies legatorum. Profectò in specie proposita, parentum consensus in conditione adjecta non erat praecipua contrahendi conjugii causa: potius de eo actum est, ut honestius matrimonium celebraretur. Altera proponitur quaestio, quid juris sit, si parentes statim quidem habita sponsalium notitia contradicant, deinde verò maturiore habita delibera-

tione consenserint? Non puto, tunc valere sponsalia, nisi novo sponsorum accedente consensu: semel enim defecta conditio amplius non impletur, & sponsi, qui per defectum conditionis semel soluti sunt, nequeunt sine novo consensu iterum obligari, argumento l. 9. cod. de remiss. pignor., l. 10. & 29. ff. de condition. & demonstrat., & l. 89. §. 1. ff. de verb. signif. Neque verò quis in contrarium argumenta à similibus producat, ex cap. 7. de procurator. in 6., aut ex cap. 17. de praebend. in 6. Equidem ibidem agitur de negotiis in voluntatem alterius collatis, non tamen ita, ut consensus alienus conditionem faciat, non nisi semel aut implendam, aut defecturam, quemadmodum in proposito nostro contingit. Haec verò non adeo rigidè intelligenda velim, ut corrurere etiam sponsalia dicantur, quo casu parentes statim, ac contradixerint, nulla poenè intercedente morasententiam, consiliumque mutaverint; quae enim fiunt incontinenti, non posteriore tempore facta censentur, argumento leg. 6. §. ultim. ff. de duobus reis.

Gravior est disputatio, quoties conditiones vel natura, vel jure impossibiles sponsalibus adiciantur. Ne allucinemur, ac propterea non confundamus conditiones proprias cum impropriis, neque cum difficilibus impossibiles. Impropriis conditiones dico, quae in praeteritum, aut praesens tempus concipiuntur: atque istae si rem demonstrent naturam impossibilem, in causa sunt, ut statim irrita evadant sponsalia, quia statim verum est, eas deficere, vel defecisse. Quòd si rem demonstrent impossibilem jure, seu, quod idem est, factum quoddam legibus improbatum, in causa sunt, ut statim subsistant, vel non subsistant sponsalia, prout verum, vel falsum est, quod in ea loquendi formula indicatur: neque istae conditiones improprie jure improbantur, utpotè quae delinquendi occasionem minime praebent, tantum defectum jam admissum respiciunt. Difficiles conditiones voco, quae licet pro-

pemodum factio impossibiles videantur, tamen aliquando extra ordinem ad effectum redigi possunt, quemadmodum contingeret, si quis valde inopem puellam sibi desponderet adjecta conditione, si certam ingentem pecuniarum summam dotis causa donaret; neque enim dubito, quin sponsalia sub ea conditione contracta adinstar veræ conditionalis obligationis consistenter, & conditionis eventus, cujus aliqua, utut levissima, spes esse potest, sit expectandus. Itaque quoties de vera, eaque impossibili conditione sermo instituitur, sive factio impossibilis habeatur, sive jure, ego puto in hac re, contractum sponsalium non dissimilem esse à contractibus universis, quando nullibi in jure excepta à generali regula sponsalia dignoscuntur; proinde quemadmodum in cæteris contractibus, ita & in sponsalibus inanem omnino esse obligationem, & frustrâ conditionis eventum expectari. Et reverâ quæ in cæteris conventionibus, eadem in sponsalibus ratio locum habet. Nam si factio impossibilis conditio sit, quis statim non agnoscat, joculari potius voluisse ita contrahentem, cum ita ex. gr. dixerit, me tibi matrimonio sociabo, si digito cœlum tetigeris? Et si jure impossibilis conditio proponatur, exi. gr. si Titium occides, quis non noverit, eam conditionem adjicientem, præterquam quod ad delinquendum spe conjugii aliquem incitat, quod sanè ferendum non est, non in ea verè esse voluntate, ut de conjugio contrahendo consentiat, sed eum potius præcipiti quodam ardore iracundiæ corripit, cui ut commodius satisfaciatur, paratum sese exhibet imprudenti consilio ad sumet ipsius traditionem delinquenti faciendam, & quidem ita, ut individuum necessitudinem nunquam à benevolentia disjungendam ineat cum eo, quem faci aliquando penitendi consocium, & prævæ aliquando abhorrendæ voluntatis excutorem fecerit? Quando verò certissimum est, in sponsalibus integram omnino esse debere judici liber-

tatem, necnon mali hominis esse, si conjugum benevolentia ex una criminum societate nascatur, atque id utrumque recipere expedire; hujusmodi libertatem consentiendi, quam plurimum imminuit admodum præceps, malevolentis animi motus, hujusmodi benevolentiam ex delicto progenitam, causam idoneam sponsalibus dare non posse, prudenter judicandum est. Nemo in contrarium mihi objiciat ultimarum voluntatum exempla, quarum gratia receptum est, ut conditiones seu factio, seu jure impossibiles adjectæ insuper habeantur, quasi adjectæ non fuerint, salvis manentibus heredum institutionibus, legatis, fideicommissis, & similibus, subjiciens, favorabilem quoque in jure esse sponsalium causam, quorum proinde gratia similis prudentia recipienda sit. Etenim ego observo in primis, Romanos Jureconsultos singularem in ultimis voluntatibus ejus generis sustinendis agnovisse rationem, non facile ad sponsalia producendam; nimirum testatores cogitatione mortalitatis adeo aliquando turbati, ut si quæ ab ipsis conditiones quomodocumque impossibiles adjiciantur, excidisse potius ex animi perturbatione, quam sincero animo adjectæ fuisse videantur. Neque enim aut joci & lusibus indulgere præsumitur, qui cogitatione mortis testamentum condit, aut pravis animi consiliis indulgere, quibus etiam si indulgisset, non tamen usque ad mortem pervicaciter indulgisse credendum est, & quidem eo tempore mortis, quo vires habere incipit testamentum. Deinde observo, etiam in ultimis voluntatibus illas quoque conditiones impossibiles vitare actum, si quæ voluntatem ipsam proximè afficiunt, sive quibus positæ facile deducitur, testatorem non verum animum habuisse donandi, quemadmodum adparet in institutionibus heredum captatoris lege improbatæ, in his enim non conditio pro non adjecta habetur, sed voluntas integra, & ipsa institutio vitatur, l. 70. ff. de heredibus instituendis.

Huc

Huc pertinet interpretatio capituli ultimi de conditionibus appositæ, cujus quantum certa est disciplina constituta, tantò visa fuit cultoribus canonum difficilis expositio, ac ratio. Ait ibidem Gregorius IX., duas esse conditionum jure præsertim impossibilium species, quarum aliæ contra substantiam conjugii insanantur, putâ, si alter dicat alteri: contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, & facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas; aliæ turpes quidem sint, aut alias impossibiles, sed substantiæ matrimonii non adversentur. Priores conditiones ait, in causa esse, ut contractus effectu suo careat, posteriores autem pro non adjectis haberi, & contractum quasi purè ab initio celebratum consistere. Perspicuum est, apud Gregorium agi non de sponsalium, sed de matrimonii contractu, quemadmodum ipsa capituli verba demonstrant; quamobrem mihi placere non potest, quod ibi de sustinendo matrimonio, insuper habita conditione turpi secundi generis, traditur, ad sponsalia extendi. Matrimonii causa est favore dignissima, cap. ult. de sentent. & re judic., quia statim ac de contractu inito constat, & de facta per conjuges mutua corporum potestate, totis viribus entitutum est, ne dissolvatur: non æquè adjuvanda est causa sponsalium, post quæ si fortè inter contrahentes dissensio emergat, libertati potius indulgendum videtur; cujus rei manifestum exemplum adparet in eo, quod si fortè inter virum, & uxorem probatum fuerit per testes, consanguinitatis impedimentum esse, admittuntur, si qui sunt testes in contrarium probaturi, cap. 26. & 44. de testibus, rejectis in simili specie testibus, si de simpliciter data sponsalium fide ageretur, cap. 6. de probationibus. Neque opponas argumentum legis 16. ff. de sponsalibus, quasi exinde generaliter deducatur, leges de conjugis latas etiam ad sponsalia pertinere; etenim ista sen-

tentia ad speciem laudatæ legis 16. y. aliasve similes est eõrrenda, scilicet ita, ut quoties perpetuè certarum personarum conjugia prohibentur, prohibita etiam exinde sponsalia sint, utpotè quæ aliàs nullum unquam effectum essent habitura. Itaque jure concludo, in celebratione conjugiorum, si conditiones turpes, aut alias impossibiles adjiciantur, eas pro non adjectis haberi, consistente conjugio. Neque ego aliter sentio de quibuscumque conditionibus, quæ etiam per se honestissimæ videantur, ita postulante conjugii natura, quæ conjugium ipsum in suspensio esse non sinit, cujus sanè rei causa, singularis disciplina recepta est, ut contractus sponsalium præcederet, quoties contractum conjugii in aliud tempus, seu in certum eventum differri expediret. Exceptio tantum est in conditionibus turpibus contra substantiam conjugii, quibus irritum fieri matrimonium Gregorius voluit, præterea quòd ubi contrahentes de certis rebus pepigissent, in quibus matrimonium non esset, non matrimonium voluisse celebrare, sed alium illicitum inire contractum intelliguntur. Hujus generis conditiones voluntatem ipsam, & consensum contrahentium intimè afficiunt, & lædunt, quasi nulla sit veri contrahendi conjugii voluntas: quibus autem in casibus conditio impossibilis voluntatem afficit & minuit, actus, qui ex voluntate potissimum pendet, consistere nequit eo præterea, quod conditio detrahatur & habeatur pro non adposita, uti superius adnotabam, argumento legis 70. ff. de hered. instituendis. Adde his non fuisse ferendum, ut ejusmodi matrimonia consistenter detrahitur conditionibus; licet enim has conditiones detraheret juris vis ac potestas, quis tamen suspensio liberabitur, ne, qui contraxerunt nefariis hisce conditionibus, conjugio abutantur? Inquires tamen: Gregorius IX. tum demum tradidit, conditiones adpositas in matrimonio pro non adjectis haberi, si turpes, aut im-

impossibiles fuerint. Non ergo, subsumes, quæ honestæ, & possibiles sunt; pro non adjectis habebuntur. Et ego id non inficio; quosque hisce terminis conclusio continetur. At si ed etiam abire velis ut concludas, ex sententia Gregorii conditiones honestas, & possibiles conjugium suspendere; non injuria repugno; notandum enim est, aliud esse conditiones pro non adjectis haberi, aliud conditiones actum non suspendere. Quæ pro non adjectis habentur, nullum omnino operantur effectum: quæ actum tantum non suspendunt, aliquid adhuc operari possunt. Quamobrem si turpes, aut impossibiles conditiones matrimonio adjectis, pro non adjectis habentur ex doctrina Gregorii, propterea que nullum omnino sortiuntur effectum. Quod si honestæ, & possibiles sint, nec ista quidem suspendent matrimonium; at non interea pro non adjectis habebuntur, sed resolventur, ita dixerim, in modum, unde curare teneantur contrahentes, quoad ipsi poterunt, ut illa implentur. Rem demonstro exemplo. Finge conjugium contractum hac honesta conditione: si uxor centam in dotem dederit. Ea con-

ditio non suspendit conjugium, sed nec habetur pro non adjecta; tantum verborum conceptio paulo immutatur; hac interposita verborum interpretatione, ut uxor post contractum conjugium centum conferre dotis nomine teneatur. Hæc autem omnia, uti præfatur, ad sponsalia minime protrahenda censeo; in quibus etiam illud occurrit singulare animadvertendum; quod eadem sine ullis solemnitatibus contrahi possunt; at verò conjugia certam, præsertim hodie, habent legibus præstitutam publicam formam, qua qui contrahit, serio, & deliberatè contrahere præsumitur; quamobrem si quid in conjugio aut impossibilis, aut turpis conditionis exciderit, facillè remittitur, eadem poenè ratione, qua remittuntur conditiones ejusmodi ex disciplina juris Romani in ultimis voluntatibus solemnibus; & publico ritu explicandis. Sed in sponsalibus, quæ elanculum, ita dixerim, aut privatim fiunt, tanta non est habenda ratio, ut quoties conditiones, aut natura, aut jure impossibiles adjectæ fuerint, existimetur, quasi excidissent sponsis ipsis aliò distractis gravissima rei gerendæ cogitatione.

CAPUT II.

Quinam ad contrahenda sponsalia idonei habeantur?

Jam verò regulæ designentur, ex quibus colligatur, quinam sint ad contrahenda sponsalia idonei. Duas regulas ego præstituo ad hanc rem poenitus dirimendam; quarum prima est, eos omnes idoneos haberi, qui ad contrahendum conjugium idonei sunt; altera est, non ita è converso sponsalibus contrahendis idoneos esse, qui matrimonium contrahere nequeunt. Indiget utraque regula fusiore quadam explanatione.

Quando dicimus, eos idoneos esse ad contrahenda sponsalia, qui idonei sunt ad matrimonium contrahendum, duplex statim habilitas personarum obocur-

los exhibetur; alia enim ita habiles sunt ad matrimonium contrahendum, ut non solum valide, uti loquuntur scholæ, sed etiam licitè contrahant: harum autem respectu nulla subesse dubitatio potest, quin ex quo contrahere sine ulla injuria conjugium queant, ad sponsalia etiam sine ulla injuria contrahenda admittantur: alia non æquè sunt habiles; nimirum si matrimonium contrahant, matrimonium, juxta scholarum phrasim, validum quidem est, sed illicitum. Opinor ego, eandem esse in proposito et matrimonii, & sponsalium conditionem, ut propterea istar matrimonii, etiam

spon-

sponsalia valeant ad sustinendos quosdam publici juris effectus, quos sponsalia inducunt, quemadmodum superius de sponsalibus à filiofamilias sine paterno consensu contractis disserebam. Itaque si quis fortè post simplex votum continentia emissum sponsalia contrahat, aut det sponsalium fidem uni, postquam similem fidem alteri dederit, non dubito, quin ea sponsalia vires sint habitura; quod minime constet, eadem irrita legibus declarari. Neque opponas, eam obligationem non posse consistere, quæ sine delicto nequit ad effectum perducere; etenim huic difficultati jam superius etiam factum est satis, cum de filiorumfamilias sponsalibus agerem. Tantum heic adjicio, & eandem difficultatem in contractu conjugio occurrere. Quid enim, si qui votum simplex continentia emisit, conjugium celebret? Nonne vinculum conjugii, & obligatio contrahentem tenet, licet votens licitè nequeat ductæ conjugii commisseri? Quam sententiam, & juris definitionem quando explicabunt, qui contra fortè de sponsalibus senserint, noverint etiam, eandem explanationem facillè sponsalibus accommodari. Difficilius erit definire, an ea sponsalia tanquam illicita sint habenda? Et distinguendum censeo inter causam, & causam, qua conjugia prohibentur, cum alia possit causa sui natura perpetua esse, alia certo tempore definita ac circumscripta, alia denique in incertum tempus, eventumve collata. Ubi causa prohibendi conjugii perpetua est, illicitè sponsalia contrahentur, propterea quod qui sponsalia tunc contraherent, in certas conjugii positas leges delinquere inciperent, cum de re vetita cogitarent. Id evenit ex. gr. in sponsalibus ab eo initiis, aut qui votum simplex continentia emisit perpetuum, aut qui jam cum altera sponsalia contraxit, quæ necdum sint legitime dissoluta; quamquam enim sponsalium vinculum dissolvi certis modis jure possit, suapte tamen natura exemplo conjugii

perpetuum est, neque licet animo prævenire eam dissolutionem; ne facilis occasio scindendis sponsonum animis præbeatur, & jurgiis concitandis. Ubi causa vetandi conjugii est certo tempore circumscripta, quoties nihil aliud, quam certum idem tempus, contrahendo matrimonio obsit, licitè sponsalia contrahentur, dummodo qui contrahunt, in animo sint differendi conjugii in tempus illud, quo interdictum expiret. Id evenit ex. gr., quum aut quisquam votum simplex continentia temporale, putà ad annum emisit, aut tempora illa celebrantur, quæ sunt à conjugii ferata, putà adventus, quadagesimæ. Quid enim obstat videtur voluntati sponsonum, quando ipsi de re licita suo tempore celebranda sine legum injuria paciscuntur, & quando sponsalia per se non repugnant cause illi, propter quam conjugio interdictum est? Denique ubi causa vetandi conjugii collata est in tempus incertum, vel eventum, censeo, interea illicitè sponsalia contrahi, propterea quod avertendi sint hominum animi à determinata voluntate ejus rei peragenda, quam interea peragere non liceret, & quam dubium est, an liceat aliquando, vel minus. Id contingit vel cum quis religiosasam vitam professus allegat, irritam professionem fuisse; & interea ante probatam nullitatem prohibetur, ne conjugium contrahat; vel cum quis contracto matrimonio allegat, irritum illud esse, & donec controversia pendet, prohibetur, ne ad alias nuptias deveniat; vel cum quis cum hæretico sponsalia contrahit, futurum sperans, ut hæreticus aliquando ad Ecclesiam convertatur. Si quidem hæc, & similia interdicta, non solum conjugia ipsa afficiunt, sed etiam quamcumque contrahendi conjugii voluntatem, utpotè quæ semper lubrica, & periculis circumsepta videtur, quousque incertum illud tempus præterlapsum non est, aut causa interdicti necdum sublata proponitur. Excipiendæ tamen sunt illæ causæ singulares, quæ non in conjugio

jugium directè tendunt, sed spectant conjugii solemnitates; si quidem ista tantum ad conjugium coercerentur, non voluntatem contrahendi conjugii afficiunt. Hinc ex gr. licet quis arceatur à conjugio ante factas denunciations, non tamen arceatur à contrahendis sponsalibus. Eodem modo licet quis arcendus sit à conjugio, quousque Christianæ fidei præceptiones non calluerit, non inde tamen prohibebitur, ne fidem sponsalium interponat; quemadmodum etiam licebit, sponsalia extra Parochiæ fines celebrare, quamquam intra eosdem fines, & coram proprio Parocho conjugium sit hodie celebrandum.

Altera præjecta regula docet, non eos omnes à sponsalibus contrahendis prohiberi, qui matrimonium contrahere nequeunt. Nimirum hæc in re dispiciendum est, num matrimonio aliquibus, aut alicui personarum generi in perpetuum interdicitur, an verò dumtaxat ad tempus. Ubi matrimonii prohibitio perpetua est, irrita prorsus erunt sponsalia; quis enim consistere sponsalium dicat obligationem, quæ nunquam effectum sit habitura? Quæ in re etiam observandum est, nulla quoque & irrita esse sponsalia, cum evenire quidem possit tempus, quo ritè matrimonium contrahatur, at fas non sit, & honestum de eo tempore cogitare, ad avertendas mali hominis occasiones, quemadmodum contingeret in eo, qui post contractum cum una conjugium, vellet sponsalia cum altera contrahere, ea spe illectus, quòd per mortem uxoris conjugium dissolvatur. Non est sanè ferenda, nec quomodocumque firmata fuit legibus hæc præmatura voluntas, quæ & dissidiarum maligna parentis esset inter conjuges concitandorum, & conjugalem benevolentiam certè distraheret contra naturale conjugii bonum. Ubi verò matrimonii prohibitio certo tempore circumscriptur, dummodò qui sint contracturi consensus capaces sint, jure sponsalia contrahuntur, quæ licet illico ad exitum perducì nequeant, elap-

so tamen eo tempore nihil obest, quominus data fides impleatur. Vix ad hæc regulam in jure Romano exceptionem invenio in tutore, vel curatore, eorumve filio, qui puella in tutelam curamve recepta sibi filiove ducenda abstinere conjugio debent, quousque rationes reddantur; interea tamen nec possunt puellam sponsalibus obligare, l. 15. ff. de sponsal., l. 60. §. 5. ff. de ritu nupt. Istud jus singulare postulavit pupillarum, & minorum utilitas, ne prætextu sponsalium contractorum tutores, & curatores desides fierent in administratione bonorum, & in reddendis rationibus minus accurati. Tria sunt illius regulæ luculentissima exempla; primum de Rectore Provinciæ juxta definitiones prisci Romani juris; alterum de impuberibus, in utraque sanè specie simili suadente causa. Nam cum ad matrimonium contrahendum, utpotè in quo firmius vinculum est, & asperius, perfecta, & plena consensus requiratur; non æquè perfecta, & plena requiratur in sponsalibus, utpotè quorum vinculum non adeo durum est, & undecumque arctissimum, dummodò consensus dici possit; facile obtinuit, ut quorum adhuc infirmum consilium est, sponsalia valerent, quamquam non valerent conjugia, differenda in aliud tempus, quo plenior esset consensus. Postremum exemplum est de vidua, quæ luctus tempore conjugium contrahere prohibetur.

In primis nemo ignorat, Rectorem Provinciæ non potuisse sibi matrimonium jungere eam, quæ ex subiecta Provincia esset, l. 38. ff. de ritu nuptiar., interea tamen inter Rectorem, & puellam Provinciale sponsalia fieri poterant, dicta l. 38., quæ tamen in specie notatu dignum est, sponsalia eadem arctius obligavisse sponsum, quam sponsam; si quidem sponsus finita administratione volentem sponsam ducere tenebatur; non è converso sponsa tenebatur datam fidem sine discrimine implere, quia ex parte sponsi integer erat, liberumque con-

sensus, at ex parte sponsæ non presumebat lex integritatem, libertatem, quasi puella terribi potestate Rectoris in sponsalia consensisset. Itaque finita administratione sponsa à sponsalibus recedere poterat, ita tamen, ut si quas à sponso arrhas accepisset, restitueret, quemadmodum animadvertit Paulus in dicta l. 38., cui è diametro adversatur lex unica, cod. si Rector Provinciæ, in qua constituerunt Imperatores, sponsam ita resiliere posse, ut tamen acceptas arrhas retineat. Frustrà meo judicio laborant juris civilis Interpretes in conciliandis duobus istis monumentis, nisi adnotent, in dicta lege unica abrogatam fuisse veterem de restituendis arrhas disciplinam, quæ Pauli ætate vigebat. Quam abrogationem suadet particula *deinceps*, quæ in dicta lege unica occurrit, futuris tantum consulens, non præterita respiciens; cui item abrogationi occasionem præbere potuerunt fraudes à Præsidibus factæ in sponsalibus contrahendis cum puellis provincialibus, dando eisdem puellis magni pretii arrhas, quas cum restituere tenerentur juxta Pauli doctrinam, si à fide præstita resilirent, adhuc per eas puellarum libertas imminuebatur.

Quod ad impuberes spectat, nemo etiam ignorat, eorum ætatem conjugii contrahendis obesse; interea tamen eorundem sponsalia minimè rejiciuntur, cap. 4. 6., & passim de despon. impuber. l. 6. & 9. ff. de sponsalib., ut enim ait Modestinus in l. 14. cod. tit. in sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimoniiis, quapropter & à primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modò id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores septem annis. Videbitur fortè nonnullis nimis aspera jurisprudentia, quæ fiat, ut obligentur impuberes consensione sua, quæ vix consensio dici potest ob animi infirmitatem. Verùm quotiescumque ejus juris originem consideres, quæ

sanè æquam disciplinam exhibebit, deinde de adminadvertas, post certas juris mutationes quibus remediis pupillarum sie indemnitati consultum, non poteris sanè non laudare nostrorum Legumlatorum prudentiam. Summa juris origo jam suprà demonstrata fuit, cum dixi, olim consuevisse parentes filias suas spondere, & satis fuisse sponsalibus contrahendis, si filix non repugnarent; non repugnare autem facile intelligebantur impuberes septennio majores, licet pleno, perfectoque consensui explicando inopaces; imò & si quid in hac parte defuisset, supplebatur potestate legis præsentis optimum fore consilium, quod à parentibus pro filiis impuberibus caperetur. Postquam verò aliquid amplius in sponsalibus requiri cœpit, ut scilicet filix impuberes non tantum non contradicerent, sed & consentirent, nimirum vim non debebant habere hujusmodi sponsalia, in quibus & parentis unà, & sponsæ consensus interveniret. Eadem etiam habita fuit ratio sponsalium à puella sui juris, & tutorem habente contractorum, quibus tutoris officium non deesset. Hæc cum in puella obtinerent, facilius admittenda fuerunt in puero, quando præter consensum parentum semper requisitus etiam fuit puerorum consensus in sponsalibus contrahendis. Atque post istam juris veteris observationem, quæ perpetuus effectus habuit, illud etiam accessit causa indemnitatis pupillarum tuenda, ut pupilli sponsi tenerentur quidem, quousque in pupillari ætate consisterent, in eadem consensione perseverare, sed statim ac pubertatem attingissent, possent à data fide recedere, quod receptum fuit, sive ambo pupilli sint, sive unus pupillus, & alter pubes sponsalia contrahant, favore pupilli tantummodò, cap. 7. & 8. de despons. impub. Neque mirum alicui videatur, valere eam obligationem, cui ut satisfaciatur, nisi velit, cogi sponsus nequeat, contra manifesta juris princi-

pia. l. 8. ff. de oblig. & action. cum similibus; etenim licet repugnet, obligationem in voluntatem illius conferri, de cuius obligatione agitur, non tamen repugnat, obligationem ita nasci; ut possit aliquando ab eo, qui obligatus est, retractari, argumento l. 3. ff. de contrah. empt., & l. 6. ff. de rescind. vend. Planè sponsalia à pupillis inita non recta in pupillorum conferuntur voluntatem, sed eorum tantum voluntati conceditur, ut puberes facti retractare sponsalia valeant, quasi jure ipsi concessa adversus firmum, validumque contractum in integrum restitutione. Reverà quousque contrahentes in

pupillari adhuc ætate constituti sunt, sponsalia ipsa firma subsistunt, qualiscumque succedat voluntas pupillorum, sive ad eadem confirmanda, sive ad eadem retractanda: deinde quod ex ipsis sponsalibus semel initis ortum est, ut vocant, publicæ honestatis impedimentum, etiam dissolutis sponsalibus sponsi facti puberis voluntate, perseverat, cap. un. de despons. impub. in 6. De viduis, quæ intra tempora luctus contrahere matrimonium prohibentur, sufficit indicare legem 10. §. 1. ff. de his, qui not. infam., ex qua constat, eas intra eadem tempora potuisse sponsalia celebrare.

CAPUT III.

Quinam sint sponsalium ritè contractorum effectus?

Sponsalibus semel ritè celebratis, naturalis quædam & jure probata nascitur obligatio inter sponso, qua alter postulante altero ad fidem implendam adigatur, nisi legitima aut conjugii in aliud tempus differendi, aut recedendi omnino à data fide, subsit causa. Ea tamen obligatio modò minorem, modò majorem habuit firmitatem, de qua ut rectam sententiam feras, opportunitum erit in primis investigare, quidnam veterè Romanorum jure obtineret, deinde quid sanxerint Ecclesiarum Antistites recentiorè ætate, ac denique, quid contrahentes ipsi de futuro conjugio magis solliciti pactionibus adjectis aliquando conentur.

Quid veterè Romanorum jure obtineret, nullibi clarius constat, quam apud Gellium, qui in lib. 4. noct. Atticar. cap. 4. prolato Servii Sulpitii Jureconsulti veteres testimonio distinguit inter jus Latii, & jus Romanæ Civitatis. Latini, qui stipulari in sponsalibus solebant, si fortè aut parens, quam promiserat, puellam duci à sponso non sineret, aut sponsam sponsus du-

cere detractaret, ex sponsu actione in judicio experiebantur. Judex, quam ob rem data, acceptave non esset uxor, quærebat; si nihil justæ causæ videbatur, litem pecunia æstimabat, quantumque interfuerat eam uxorem accipi, ac dari, eum, qui sponderat, aut qui stipulatus erat, condemnabat; disciplina sanè, quæ congruebat generalibus juris regulis, suadentibus, in stipulationibus facti non tam venire factum ipsum, quam id, quod fieri, vel non fieri intersit. Hæc Latii disciplina ab usu inde recessit post latam legem Juliam, ex qua cum Latini omnes essent Romana Civitate donati, Romanæ potius Civitatis mores sequi debuerunt, cæteris, quæ ad Romanam disciplinam minimè pertinebant, penitus abrogatis. Romæ verò hæc consuetudo fuerat, ut quoniam sponsalia per solemnem stipulationem etiam celebrabantur, exinde quidem nasceretur actio ex stipulatu, sed non satis honestum videretur id, quod ex ea causa interesset, investigare, definire, ac pecunia æstimare. Num enim æstimari pecunia decebat aut probos

bos sponsæ mores, aut ingenitam gratiosam illius indolem, aut speciosam ejusdem corporis formam, item ætatem, familiam, cæteraque id genus adjuncta? Eam ob rem actio illa ex stipulatu in judicio edita ut plurimum datis exceptionibus, aut Prætorum, aut Censorum æquitate enervabatur, non sanè quòd sponsalium obligatio jure honorario generaliter improbaretur, sed quòd Prætores, Censoresve ut plurimum agnoscerent, malis hominibus ea celebrari conjugia, quæ à litigiis, & jurgiis initium caperent; atque ideo quoties commodè sponsorum animos conciliare ex prudentia requirent, auctoritate sua eam obligationem effectu suo carere facile paterentur. Hinc est, quòd Prætores actionem denegarent ei, cui quisquam, si certam uxorem non duceret, pecuniam promississet, ne eligendi matrimonii libertas auferretur, l. 71. §. 1. ff. de condit. & demonstr., necnon in specie legis 134. ff. de verb. obligat. adversus eas stipulationes daretur exceptio, quæ utut in sponsalibus factæ quoquo modo libertati conjugiorum adversarentur. Atque ex eo factum conjicio, ut paulatim apud Romanos sponsalia contractuorum stipulationes negligerentur, ac nudo consensu, quemadmodum initio scribebam, illa celebrarentur, quòd passim agnoscerent, non majorem in proposita specie vim inesse stipulationi, quam nudo consensu, imò etiam generaliter traderetur, sponsalia nihil obesse, quominus sponsa unius alteri nubere valeret, l. 1. cod. de sponsalibus.

Ad hæc Romani juris principia respicere visi fuerunt Patres Ecclesiastici ubi de viribus date in sponsalibus fidei sententiam pronunciarunt. Etenim statuerunt in primis, ut sponsi, sponsæque ad datam fidem implendam, quoad fieri posset, inducerentur; & quoniam religiosa semper habita fuit observatio pactorum, penis adversus violatores fidei indicendis minimè pepercerunt,

comminati adversus detrectantes gravissimam penam excommunicationis, can. 47. & 51. cau. 27. quæst. 2., cap. 2. & 10. de sponsal., cap. 1. de sponsa duorum. Verùm in hac penè comminatione sistentes, ubi sponso detrectantes adhuc, contumacesque deprehenderent, paratosque potius ad subeundam excommunicationis penam, quam ad conjugium contrahendum, ab inferenda penæ abstinendum voluerunt, libertati contrahendorum conjugiorum lenius indulgentes, cap. 17. de sponsal., qua in re maximè enitet Maximorum Pontificum sapientia, qui hinc perfidiam improbaverunt, hinc publicæ utilitati, quæ ex conjugii penè coactis maximè læderetur, consuluerunt. Ita non ita intelligas, quasi si excommunicationis penæ indiceretur, & ad eam evadendam quisquam matrimonium contraheret, nullum esset, irritumque conjugium, veluti metu ininitum; etenim metus ita incussus justè incussus diceretur; ex metu autem justè incusso et si admodum gravi, matrimonii contractus non irritatur; hinc si sponsus ex. gr. qui renuit sponsam ducere, territis excommunicationis comminatione sponsam deinde duxerit, non poterit à matrimonio prætextu nullitatis, causa metus gravis incussi, recedere, ne fortè contingat, ecclesiasticum judicem suo officio fungentem, majorem publicæ rei perniciem, quam utilitatem adferre, seu, dum curat sponsalia firmare, causam potius præbere conjugii infirmandis, atque dissociandis. Quamvis verò Ecclesiæ mens sit, sponso ad implendam datam fidem adigè omnino non oportere, non inde tamen sequitur, eum, qui fidem implere detractat, sine causæ cognitione, & probatione ad celebrandum cum alia conjugium admitti per ecclesiasticos administratos licere; cum enim, ubi nulla sit recedendi causa, graviter delinquat is, qui recedit, indignus efficitur, qui ad Sacramentum conjugii suscipiendum ab Ecclesiæ sine

contradictione excipitur; quamobrem non dissolvitur quidem conjugium cum altera contractum, quia leges hoc conjugium non irritaverunt, sed prorsus illicitum judicabitur, cap. 1. de sponsa duorum, cap. 15. 22. & 31. de sponsalibus.

Ut sibi prospicerent sponsi, nec inane omnino spem conjugiorum haberent, non raro in contractu sponsalium arrhas sibi dari pepigerunt, ac receperunt. Arrharum nomine non heic intelligo aut donationem propter nuptias, quæ in quandam dotis repensationem à marito gratia conjugis constituitur, aut sponsalium largitates, quæ fiunt ad nutuam inter sponso conciliandam benevolentiam; sed intelligo pignora quædam aut mutuo, aut ab uno tantum ex sponsis alteri data, quasi ad præstandam quodammodo futuri conjugii securitatem. Non est hæc arrharum traditio legibus improbatæ, l. 3. §. 5. & ult. cod. de sponsalib., dummodò tamen vera traditio intercedat; nam si dumtaxat promittantur, non erunt arrhæ, sed pactum illud adjectæ conditionalis pænæ naturam habebit, proindeque pœnitit irritum, juxta ea, quæ inferius tradentur. Imò etsi hæc pæctio quoquo modo valere diceretur, nuda esset, & simplex, nullam pariens actionem, aut si actio exinde nasceretur, ea planè inefficax esset. Etenim pactum illud sponsalibus adjectum, vel efficax reddendum esset ex actione ex stipulatu, nata ex sponsalibus stipulatione contractis; tùm verò cum actio ex stipulatu stricti juris sit ex sui natura, non facile extenditur ad informanda pacta sponsalibus iisdem adjecta, l. 40. ff. de reb. cred.: vel efficax reddendum esset ex actione bonæ fidei quæ generaliter ex sponsalibus quibuscumque nata dicitur; tùm verò quemadmodum, uti diximus, actio ex sponsalibus nata parum efficax habetur, utpotè quæ propositis exceptionibus facile elidi consuevit, non vjdeo, quomodò eadem actio ma-

gis efficax haberi possit respectu pacti adjecti; neque enim actio quædam proponi potest, quæ validior sit ad accessorias obligationes informandas, quam ad obligationem principalem. Nihil tamen interest, an arrhæ in re mobili, an in re immobili, an in re magni, an in re exigui momenti constituantur, cum cœrcita legibus non sit in hæc parte contrahentium potestas. Finis arrharum is est, ut si qui dedit, fidem impleat, vel fidem non impleat quidem, sed habeat justam non implendi causam, arrhas recuperet; at si fidem non impleat sine causa, easdem arrhas amittat; si verò qui accepit, nihil tamen arrharum nomine dedit, voluntatem mutet ex causa legitima, arrhas restituendo liberetur, & quoties nulla sit justa voluntatis mutandæ causa, restituit duplum, in quo nimirum & simplum, id est, quod arrharum nomine acceperat, continetur, nisi ab initio aliquid amplius restitui, cautum expressè fuerit à contrahentibus, dummodò quadruplum non excedatur, dicta l. 5. vers. *quæ omnia*, cui jungi potest lex 17. cod. de fide instrum. Favore minorum, qui arrhas receperunt, & sine causa dissentiant, si in integrum restitui postulent, statutum est, ut simplum tantummodo reddant, pœna in illud directæ, quo nullum lucrum retineant, non damnum patiantur, nisi arrhæ à minorum parentibus receptæ fuissent; beneficium enim restitutionis in integrum minoribus competens, minorum parentibus non æquè datur, dicta l. 5. vers. *patrem verò*. Quid verò, si datis arrhis mors alterutrius sponsi ante conjugium interveniat? Clarissima est constitutio in lege 3. cod. de sponsal., nimirum si is obierit, qui arrhas accepit, ejus heredes ad arrhas restituendas cogentur; & è converso si is obierit, qui arrhas dedit, ab ejusdem heredibus jure repetentur arrhæ, nisi defunctus in culpa fuisset, ne congruo tempore conjugium contraheretur. Quæri solet, num

num concessis arrhis ab eo, qui dedit, aut dato duplo ab eo, qui accepit, sponsalium vinculum solutum fuisse intelligatur, & extincta obligatio. Ego non dubito, quin adhuc consistat, quod in arrhæ concessionem, aut in solutionem dupli nulla censeatur facta fuisse obligationis novatio, imò arrhæ ideo data intelligantur, & constituta obligatio dupli, ut firmior esset contractus, non ut facilius infirmaretur, argumento l. 115. in fine ff. de verb. obligationibus.

Quod de arrhis dictum est, nemo facile ad pecuniarias pœnas contractui sponsalium adjectas extendet; siquidem pœnæ cujuscumque adjectio, quæ posita sit extra amissionem arrharum, aut extra duplum, seu quadruplum juxta definitionem dictæ legis 5., Romano jure improbatæ fuit, dicta l. 5. in fine vers. *extra defensionem*. Si enim apud Romanos veteres ne matrimonio quidem contracto pacisci licebat adjectæ pœnæ, ne diverteretur l. 2. cod. de inutil. stipul., ut libertas, quoad fieri posset, inesset matrimonii in casibus tunc publica lege permissis divertendi, argumento l. 8. cod. de repudiis, potiore sanè ratione id recipiendum, retinendumque fuit in sponsalibus, proptereaquod facilius sponsalia, quam matrimonia dissolverentur. Addi his potest lex 71. §. 1. ff. de condition. & demonstr., lex 19. & 134. ff. de verb. oblig. Equidem recentioribus sæculis contraria consuetudo invaluit apud Græcos, quam in sua Novella 18. ratam habuit Imperator Leo cognomento Philosophus. Verùm nemo ignorat, ejus Principis constitutiones nec generales fuisse, tantum intra Orientalis Imperii fines obtinuisse, quando tunc Occidentales Provincie aliis legibus regebantur; nec facile receptas usu fuisse à sæculo duodecimo & deinceps, quum juris Romani Justiniani disciplina pro communi jure haberi cœpit, juxta quam cum respondisset Pontifex Maximus in cap. 29. de sponsalibus, dubitari ne-

quit, nullam esse Leoninæ Novellæ habendam rationem. Inquirunt multi in causam, quare pœnalis stipulatio locum habere non possit, dum è contrario arrharum amissiones & lucra, imò & pœnæ dupli, vel quadrupli acceptarum arrharum admittuntur. Sunt, qui putaverunt, ideo arrhas non improbari, quia datæ videntur ad sponso potius benevolentiam conciliandam, improbari pœnas, quia pœnæ quandam habent asperitatis. Isti meo judicio non satis distinxerunt, uti distinguere debuissent, inter arrhas, & sponsalium largitates. Sponsalitiæ quidem largitates sponso conciliant benevolentiam: non tamen video, quomodò per arrhas sponso benevolentia concilietur, quando istæ ita conceduntur, ut, si sequatur conjugium, in quo benevolentia perficitur, restitui necessario debeant; neque enim ubi firmior est benevolentia, ibi locus præcludi debet benevolentie argumentis. Deinde demonstrandum adhuc esset, etiam ad benevolentiam conciliandam pertinere obligationem dupli, vel quadrupli, qua tenetur is, qui arrhas accepit. Alii dixerunt, per adjectam conventionalem pœnam magis impediri matrimonii libertatem, quam per arrhas, quia cum arrhæ jam traditæ supponantur, qui vult è data fide recedere, nihil amplius traditurus est, tantum quod tradidit, non repetiturus; lubentius autem, aut minus ægrè quis abstinet à repetendo, quam invitetur ad dandum. Neque ista opinio mihi satis placet, dum animadverto, adhuc eam incidere in difficultatem, quotiescumque consideremus personam illius, qui arrhas accepit; cum enim iste duplum, aliquando etiam quadruplum solvere teneatur, non magis liber esse intelligitur, quam si se certam pœnam soluturum promississet. Alii tradiderunt, ea, quæ de arrhis amittendis, vel de duplo restituendo obtinent, à lege statuta expressè fuisse, pœnam verò à conventionem hominis pendere; multa

tri, eatenus in hominum opinione fundamentum habet, quatenus sponsa quamdam inducere incipit uxoris personam, contra quam sit in rei veritate; atque in sponsalibus licet irritis, ea uxoris imago adhuc publicè saltem in opinione hominum retinetur. Sed rursus notandum est, hodie nos adhzrere oportere definitioni Tridentini Concilii, qua decretum est, ut quacumque ratione sponsalia valida non sint, nullum publicæ honestatis impedimentum contrahendis matrimonii obsit. Observandum etiam est, publicam honestatem statim quidem habuisse, & habere locum in sponsalibus purè, non autem sub conditione contractis, nisi jam conditio evenerit; proindeque si ante eventum conditionis sponsalia dissolvuntur, nullum esse contrahendo conjugio impedimentum, etiam si fortè deinde conditio exiterit, dicto cap. un. de sponsalibus in 6.

Habent, ut diximus, sponsalia quamdam matrimonii imaginem, & sponsa non longè distat ab uxore. Hinc est, quòd aliquando sponsæ uxorum, & conjugum nomine in sacris canonibus appellentur, can. 12. & 14. caus. 27. quæst. 2. Hinc etiam est, quòd plurima, quæ de uxore statuta sunt, ad sponsam facillè vel legibus, vel recta legum interpretatione protrahantur. Hinc Ulpianus in l. 6. §. 1. ff. de gradibus, & adfinibus scribebat: *Generi & nurus appellatione sponsus quoque, & sponsa continentur; item socii, & sociæ appellatione sponsorum parentes contineri videntur, & in l. 8. ff. eod. tit. Pomponius: Servius rectè dicebat, socii, & so-*

crus, & generi, & nurus appellationem etiam ex sponsalibus adquiri. Ex hac regula fuit in legibus, quibus excipitur, ne gener, aut socer invitus testimonium dicere cogatur, generi appellatione sponsum quoque filia contineri, item socii sponsæ patrem, l. 5., junctà l. 4. ff. de testibus. Hinc præterea fit, ut, quoniam lege Pompeja de parricidiis statutum erat, tanquam parricidam habendum esse, qui uxorem, aut virum occidisset, ita censendus esset parricida, qui sponsam suam occidisset, aut sponsæ parentem, l. 3. & 4. ff. ad leg. Pomp. de parricidiis. Hinc itidem est, quòd quemadmodum marito actio injuriarum conceditur, si fortè in uxorem illata injuria fuerit, ita & sponsæ concedatur ob injuriam illatam in sponsam, l. 15. §. 24. ff. de injuriis. Hinc insuper est, ut si sponsa jam dotem sponso dederit, nuptiis non secutis, dotem eandem repetere valeat eadem actione, qua dos ab uxore legitima, soluto matrimonio, repeteretur, l. 74. ff. de jure dotium, eademque ratione, quemadmodum lege Julia cautum fuit, ne prædia dotalia alienari à marito, aut obligari valeant, ita nec eadem dotalia prædia à sponso alienari queant, vel obligari, l. 4. ff. de fundo dotali. Hinc denique deducunt gravissimi Civilis Juris Interpretes, tacitam hypothecam, ipsum quoque hypothecæ privilegium uxori favore dotis concessum in bonis mariti, facillè etiam sponsæ, quæ dotem jam sponso tradidit, accommodari.

CAPUT IV.

Quibus ex causis sponsalia dissolvantur.

Nunc superest, ut causas pandam, quibus sponsalia jure contracta dissolvuntur. Vulgò plurimæ numerantur. Ut enim omnittam, morte alterutrius sponsi, superstitem esse omni obligatione solutum, in primis consensu eorum, à quibus contracta sunt, etiam receptum est dirimi sponsalia; qua in re admissa fuit generalis juris regula, quæ definit, unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est, cap. 1. de regulis juris. Apud Romanos veteres obtinebat, patrem sponsæ, quam haberet in potestate, nuncium remittendo sponsalia posse dissolvere, l. 10. ff. de sponsalibus; quomodò enim Romano jure constitisset, justumque dici potuisset conjugium, cui pater sponsæ non consensisset? Quod tamen de patre dicitur, locum non habebat in tutore post sponsalia jure à pupilla contracta, l. 6. ff. eod. tit., neque enim sicut patris, ita & tutoris, cujus officium pubertate pupillæ expirat, consensus necessariò in subsequentibus nuptiis requirebatur. Sed hodie, postquam receptum est, parentis consensum ad conjugia, aut sponsalia validè contrahenda minimè requiri, recipi quoque facillè debuit, solum parentis dissensus non sufficere ad contracta sponsalia dissolvenda. Res redacta fuit ad unum contrahentium consensum, qui si ex utraque parte interveniat, in causa est, ut obligatio rescindatur, cap. 2. de sponsalibus; imò etiam, uti superius traditum est, in sponsalibus impuberum observatur, sponsum puberem factum posse etiam invita altera parte à data fide resiliere, quod tamen omninò singulare est, & inductum gratia pupillaris ætatis, cujus consensus quoque modo imperfectus esse videtur. Quod de mutuo dissensu sponsorum generaliter traditur, adeo verum est, ut obij-

neat, etiam si sponsalia fuerint jurejurando firmata, dicto cap. 2. de sponsal., etenim cum jurandum non aliam ob causam sponsalibus adjiciatur, quam in contrahentium sponsorum utilitatem, quo scilicet unusquisque magis magisque alterum sibi devinciat, quid amplius operabitur, ubi unusquisque nexum liberè dirimere argumento cap. 29. vers. *Juramentum* de jurejurando. Cæterum antequam ulterius progrediar, nonnulla adnotare juvat ad capitulum 2. de sponsal., ubi exhibetur Innocentius III. tradens, si uterque sponsus à sponsalibus recedendum velit, posse id in *patientia tolerari*. Nùm exinde inferretur, id minimè licere, ex ea regula, quam Innocentius III. tradit in cap. 18. in fine de præbendis, *multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non deberent tolerari*? Additur in dicto cap. 2. *ne fortè deterius inde contingat*: Nùm exinde inferretur, ad evitandum majus malum quiddam in proposito indulgeri, remitti, quasi & id malum sit, quod tamen vix mali speciem habeat in conspectu mali gravioris quemadmodum in argumento capituli 5. qui Clerici vel voventes Alexander III. indulsit cuidam mulieri post continentiam votum emissum, ut matrimonium contraheret, quod *tutus esset, ut mulier post votum simpliciter oblatum matrimonium contraheret, quam fornicationis reatum incurreret*? Non ita concludendum puto. Describendum in primis est integrum capitulum, quale in 1. collectione Decretalium legitur, utpotè in qua nonnulla habentur, quæ apud Gregorium IX. considerantur: deinde inquirendus capituli auctor: postremò ejusdem explicanda sententia. Ita legitur in 1. Decretalium collectione apud Antonium Augustinum in cap. 11. de sponsalibus: *Præfata ii,*